

compellit grata preceptoris auctoritas et¹⁾ condicio totius, quod sum, dedicione iam facta, merum tenet imperium, ut licere nec libere potuerit intra pectoris abdita elingua verba comprimere. Quin potius preelegit dictio pudibunda²⁾, edicti memor autentici, prodire in publicum, quantumvis actoris ora rubescant, vel ipse, qui iusserit patiens vel compatiens accipiat, quod mandavit; quod velata silentio, dum publicum tam scientie quam nature defectum occultare studeret, illud mortis³⁾ vitium contrahatur, quod primum homini tetendit insidias in sue creationis exordio. Suscipite igitur, reverende domine, cum mansuetudine verbum, quod sub plica taciturnitatis quiesceret, nisi mandatum, quod ipse pridem indixistis Carnoti explicate, cum nova adessent, id exeri per litteras mandavisset, et que hic nova ferantur, hiis accipite brevibus. Dicunt societates Tuscorum, se recepisse per litteras, quod Mutina sit plene sub potestate legati, qui maiores ex Guelfis civitatis ipsius solerter nondum reduxit in terram, ut prius, inter Gebellinos et ipsos firmatis connubiis, bonum pacis, ad quod intendit precipue, specialius ibi fructificet. Ferunt preterea, quod dissidium olim inter Ecclesiam et Ferrarienses prehabitu sit firmiter utrimque in manibus ducis Calabrie, qui est, ut nostis, et fuit partium communis amicus, eius arbitrio concordandum. Addunt et istis, quod Barbarus iste, vel Bavarus, Mediolani satis invalidus squaleat. Filios tamen olim Mathei Vicecomitis non lesit, ut pristina fama vulgaverat. Hec licet hii asserant, qui sibi non credi per omnia sacrilegium extimant; alii nichilominus, qui non creduntur nec credunt de facili ledere veritatem, ab istis longe dissentiunt, negantes Mutinam subditam dispositioni legati; et minus verum nec verisimile asserentes, illos de Ferrara, quorum querere principium extitit rex Robertus compromisisse in ducem; dicentes ulterius non squalere sic Bavarum, sed potius invalere, quem fatentur indubie ante assumptionis sollempnia cum tribus milibus militum, quos iam habet, Tusciam ingressurum, progressurum exinde ad Urbem, ubi expectatur a multis, innovaturus signanter mirabilia et signa mirabiliter mutaturus. Profecto utrum hoc vel illud sit verius extimandum, ignoro. Doctus enim, in obsequium fidei Christi captivum facere intellectum, nusquam, ut placerem odiose hominum voluntati, illum potui captivare. Sufficiat mihi narravisse, quod dicitur. Vestra sit optio, quod magis veritati videbitur consonum, acceptare. Solvi ergo iniunctum a vestra dominatione mandatum, nova, que scivi, notificans, ut iussistis. De cetero vestre benignitati relinquitur, ut insulsum eloquii dissuti dictamen, quod oportuit vestre facundie nunc offerri, quia ut obediret, vestra potestate coactum de caverna obscuri latibuli

1) 'et' fehlt in der Hs.

2) 'padibunda' Hs.

3) 'moris' Hs.